



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

6. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

esse. Vehemens & accuratus in hac causa Calvinus fuit. Sed vana est sine viribus ira. Totam hanc Caluini disputationem in sua (vt erat) Ecclesiastica expositione inseruit Marloratus, sicut & alia omnia quæ in his Antidotis refutantur. Sed similes habent labra lactucas.

## IN MATTHÆI CAP. 5.

6. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.*

**C**ORRUPTOR Euangelij Calvinus inter alias Euangelicas Beatitudines hanc imprimis corrumpit egregie. *Esurire* (inquit) & *sitire* per synecdochen accipio pro laborare inopia, destitui rebus necessarijs, iure etiam suo fraudari. Quod Matthæus ponit, *esurire iustitiam*, species est pro genere, ac si dixisset, *Beati sunt qui licet votis suis moderentur, ut tantum sibi præstari quod iustum & æquum est cupiant, tanquam famelici nihilominus languent.* Hæc ille, perpetuum & cōstantem omnium interpretum sensum refugiens, quia beatitudinem ex veræ iustitiæ ac sanctitatis desiderio spirituali, quâ hic locus manifestè docet, ille iuxta solius iustificantis ac beatificantis fidei doctrinam penitus aspernatur. Sed sensum quem ille fingit, absurdissimum esse, sola promissio adiuncta demonstrat, qua Christus dicit: *Quoniam ipsi saturabuntur.* Homines enim inopia laborantes, & rebus necessarijs destituti, non saturantur, sed exercentur à Deo; nec terrenarum rerum copia donantur, sed diuinis consolationibus recreantur: iuxta præcedentem beatitudinem. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Nec Christus hoc loco saturitatem aliquâ temporalem quæ huiusmodi fami & languori opponitur, qualem

Scripturæ  
corruptela  
manifesta.

tingit Calvinus, pro aliqua beatitudine proponit; sed spiritualia sunt omnia quæ Christus hic promittit, & à carnis sensibus remota. Denique esurientes & sitientes temporalia bona quibus inopia eorum subleuetur, miseri sunt, non beati; nec saturantur talibus qui talia appetunt, sed eorum affluentia sitim & famem magis auget.

Iustitiæ  
desideriū  
in Scrip-  
turis lau-  
datum.

Ioan. 6.

Ioan. 4.

Cæterum famem ac sitim iustitiæ Scripturæ laudant & saturari à Deo docent. Sic enim Christus alibi dixit. *Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Rursum alio in loco. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei (id est acceperit de Spiritu quem ego effundo in credentes) non sitiet in æternum,* id est, saturabitur iustitia. Denique hanc esuriem & sitim tanti fecit Propheta regius, ut ipsam per se in magno bono posuerit. Ait enim.

Psal. 118.

Coc. 2. in

Psal. 118.

Ioan. 7.

Luc. 7.

Cap. 65.

*Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in æternum.* Ad quæ verba August. *Nihil (inquit) impedit quominus habeantur iustificationes Dei, nisi quia non desiderantur.* Quare alibi Christus clamat. *Omnes qui sitient, veniat ad me.* Venire enim ad Christum & saturari iustitia nemo potest, nisi qui vehementi iustitiæ & pietatis desiderio tenetur: & hoc est quod Christus hoc loco docet, promittens saturitatem iustitiæ esurientibus illam, iuxta diuæ virginis Canticum. *Esurientes impleuit bonis: quod multis verbis Elaias amplificat. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: & quæ sequuntur.* A tota hac saluberrima doctrina, ne vitæ sanctitas ac iustitia in solius fidei præiudicium commendari à Christo videatur, lectoris animum impostor Calvinus auertit.